



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Cæremoniarvm In celebratione Diuinorum Officiorum Observandarvm

Jacobs, Johannes

Antverpiæ, 1621

IX. De officio Thuriferarij in Vesperis & Laudibus solemnibus tam absente,
quàm præsentem vel etiam celebrante Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40844

CAPVT IX.

De officio Thuriferarij in Vesperis & Laudibus solemnibus tam absente, quàm præsentem, vel etiam celebrante Episcopo.

*Ex Cer.
lib. I.
c. 11. &
23.
Item
cap. 12.*

I. **A** Colythus feruens de thuribulo cum prunis, & de nauicula cum cochleari ac thure (quod debet esse boni odoris, & si aliqua aromata bene olentia addantur, aduertatur vt quantitas thuris longè superet) tenebit & gestabit ea eleuatis æqualiter manibus, vna thuribulum (pollice in anulum maiorem immisso, altero verò digito minorem anulum catenulæ eleuanti coopertorium thuribuli appositum regens) & altera pedem nauiculæ. Cùm nauiculam Assistenti vel Diacono daturus erit, tenebit eam dextra manu semiapertam, & thuribulum sinistra: cùm verò

thu-

thuribulum dabit, tunc illud tenebit dextra, & nauiculam sinistra: quando autem thuribulum offeret Celebranti aut Episcopo ad imponendum thus, tunc illud tenebit sinistra per anulum maiorem, & dextra operculum thuribuli per minorem anulum sursum trahet: quando denique ipsemet thurificabit, tenebit prout supra dictum est capite 3. numero 2.

2. In Vesperis & Laudibus solemnibus ad Cantica **Magnificat** & **Benedictus** accedens ad altare, ita vt eodem tempore eò perueniat cum Canonico celebrante & Assistentibus, facta cum illis altari debita reuerentia, dabit nauiculam semiaper- tam Assistenti Celebrantis à latere Epistolæ existēti, & mox operculū thuribuli sursum trahens offeret illud Celebranti ad imponendum thus: quo per eū imposito, sinistra

Ex l. 2.

cap. 3.

cap. 6.

reci-

recipiens nauiculam ab Assistente, dextra dabit eidem thuribulum, & post thurificationem altaris recipiens, comitabitur Celebrantem ac alios ad chorum, facta cum ipsis altari & Canonicis ab vtraque parte chori debita reuerentia; ibique reddet thuribulum eidem Assistenti, & thurificato per eum Celebrante recipiens thurificabit omnes Canonicos ordine suo duplici ductu, cum profunda inclinatione ante & post: deinde cæteros de choro vnico ductu, primo tantum in ordine capite inclinato. Quòd si thurificatio non esset expleta, dum Celebrans incipit **Dominus vobiscum** pro **Oratione** dicenda, debet cessare.

*Item
cap. 1.*

*Ex eodē
l. c. 1. 2.
67.*

3. *Episcopo autem presente vel celebrante, dum cantatur **Antiphona** ad **Magn.** vel **Benedict.** accedens ad illum cum debitis reuerentijs, nauiculam dabit Presbytero assistenti, thuribulum verò offeret ipsi Episcopo ad imponen-*

dum

dum thus, si Ceremoniarius non sit paratus ad id faciendum, alioqui enim ad eum spectat thuribulum & nauiculam ad Episcopum deferre: postea apud altare dabit thuribulum Assistenti Celebrantis, & thurificato altari (ac etiam Celebrante, si sit alius ab Episcopo) recipiens deferet ad sedem Episcopi, ubi eo per Presbyterum assistentem thurificato, si Episcopus non celebret, recipiens thuribulum thurificabit primò Presbyterum assistentem, deinde Diaconos assistentes, & postea Canonicos, ceterosque de choro, ut supr à: qui omnes Episcopo celebrante thurificantur per eum qui Antiphonas praintonauit.

4. Quandocumque Episcopus celebraturus Vesperas aut Missam sumit paramenta extra chorum, eo parato dabit nauiculam Presbytero assistenti & thuribulum offeret ipsi Episcopo ad imponendum thus: quo imposito, cum nauicula in sinistra & thuribulo fumigante in dextra procedet ad chorum ante Ceroferarios; & ante altare retrahens

se ad

Ex l. 1.
c. 5. &
23. &
ex l. 2.
cap 37.

Ex l. 1.
cap. 23

Ex l. 1.
c. 15. &
ex l. 2.
cap. 8.

Ex l. 2. cap. 3. se ad latus Epistolæ, facta ibi cum aliis altari debita reuerentia, in Vesperis statim discedet ad cornu Epistolæ altaris, ubi super gradu deponet nauiculam cum thuribulo: in Missa autem cum illis remanebit, donec Episcopus facta **Confessione** ad altare ascendat, & tunc pariter accedens ministrabit illa ut infra cap. 20.

C A P V T X.**De officio Ceroferariorum in eisdem Vesperis, Matutinis ac Laudibus.**

Ex l. 1. cap. 11. **I.** **D**VO Acolythy ministraturi de candelabris cum cereis debent in statura, quantum fieri potest, æquales assumi, ut luminaria æqualiter teneant & deferant. Candelabra capient quidem manu dextra, sed qui à dextris incedet, statim ponet manum finistram ad pedem candelabri, dextrā ad globum tenens: qui verò à
fini-